



Quæstionum, Et Resolutionvm Legalium Libri Duo

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, 1683

Cap. XXXII. De jurepatronatus hæreditario, gentilitio, & mixto? Et quomodò voces patronorum debeant computari, quando fit præsentatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

Sed semotis omnibus prædictis considerationibus, hæc una sufficit ad declarandam mentem fundatricis, quæ colligitur ex verbis illis: Provideatur de sufficienti Presbytero; & casu quo non reperiretur qui veller dictæ Capellaniam inservire, nec onus celebrandi dictas tres missas assumere, &c. quibus sic stantibus, debet provivus per se ipsum celebrare, & non per substitutum, præsertim junctis aliis supra adductis, quæ insimul, & non separatim consideranda sunt, ad eliciendam intentionem fundatricis. †

13 Debet ergo provivus actualiter & per se, non per substitutum deservire. Garz. de benef. part. 7. cap. 1. num. 86. & multis seqq. Barbof. de jur. Eccles. d. cap. 5. n. 33. & 34. Gonzal. d. gloss. 5. num. 100. Novar. lib. 1. quest. forens. cap. 115. Aliquid hæc de re diximus infra cap. 118. num. 26. & seqq.

Unde sequitur dictam capellaniam fundatam in Ecclesia loci de S. Chamas, esse incompatibilem cum

14 cura loci de Grans: † tenetur enim Curatus ex debito officij missas in sua Ecclesia parochiali celebrare, juxta Concil. Trid. sess. 23. de reform. cap. 14. Barbof. de offic. & potest. paroch. cap. 11. num. 5. Cum igitur non possit simul duobus in locis constitui, & ex necessitate curæ teneatur ad continuam residentiam in loco de Grans, non potest satisfacere celebrationi missarum in d. Ecclesia loci de S. Chamas indictæ:

15 † Unde oritur incompatibilitas, Garz. d. part. 11. c. 5. n. 86. vers. sed id de residentia. Massobr. in prax. consens. requirit. 1. dub. 3. n. 7. vers. nisi forte. Rot. Divers. decis. 483. n. 3. part. 1. ubi dicitur hoc habere locum quando residentia est continua; adeo ut si quis possit in utroque beneficio deservire, beneficia non dicantur incompatibilia, veluti si ex jure speciali, statuto vel consuetudine, residentia in utroque requiratur; quo casu per ademptionem capellaniam, vacant beneficia jam adepta, propter incompatibilitatem; ut dicit Card. Zabarel. cons. 3. ubi concludit quod licet canonicatus requiratur præcisam residentiam, non tamen est incompatibilis cum capellania habente onus annexum singulis diebus celebrandi missas; quia hoc onus potest se compati cum residentia requisita in canonicatu. Idem tradit Grivel. decis. Dolan. 89. n. 9. & 10. ubi dicit, quod si capellania habet onus coadjuvandi Parochum in cura animarum, dicitur requirere residentiam, & ex eo inducitur incompatibilitas; & nos superius cap. 12. copiosè demonstravimus.

16 An verò, & quomodo in impetratione hujusmodi capellaniarum habentium ordinem annexum, aut onus celebrandi missas, vel requirementium personalem residentiam, facienda sit mentio harum qualitatum, resolvitur per sequentes conclusiones.

Prima, non esse necessarium quod in impetratione exprimatur, capellaniam habere annexum onus celebrandi missas, quia talis qualitas licet fuisset expressa, non ideo difficiliorem reddidisset summum Pontificem ad gratiam concedendam. Cum enim Judicis arbitrio relinquatur judicandum, utrum qualitas non expressa sit talis, quæ difficiliorem reddidisset Principem concedentem, consideratis scilicet negotij circumstantiis, ut tradit Rot. decis. 24. n. 8. part. 3. recent. Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 21. num. 19. nullus Index existimabit expressionem oneris celebrandi missas, difficiliorem redditurum fuisse summum Pontificem ad gratiam concedendam; quia cum capellania sit beneficium Ecclesiasticum, & propter divinum officium detur beneficium, cap. cum secundum, de præbend. cap. fin. de præscript. in 6. potuit cogitare summus Pontifex capellaniam habere aliquod jus spiritualitatis annexum, Felin. in cap. in nostra 32. n. 9. vers. de tertio, de rescript. Cum etiam ipsum no-

men capellaniam, quodammodo præ se ferat celebrationem missarum. Rot. decis. 65. num. 1. part. 2. recentior.

Secunda conclusio; quamvis capella habeat annexum ordinem sacerdotii, non est necesse illud exprimere in impetratione: Imò sufficit quod provivus sit habilis actu, vel habitu ad illius ordinis susceptionem, cap. si pro clericis, & cap. ei cui, de præb. in 6. Rot. d. decis. 65. n. 2.

Tertia conclusio, quamvis capellania requiratur residentiam, non tamen necessarium illius qualitatis fieri debet mentio in impetratione: quia residentia de jure communi inest omnibus beneficiis, qualitates autem quæ insunt de jure, sunt notæ summo Pontifici ideo non sunt de necessitate exprimendæ. Selv. de benef. part. 3. quest. 12. n. 12. & ita decidit Rot. d. decis. 65. n. 1. vers. quo verò ad residentiam.



CAPVT XXXII.

De jure patronatus hæreditario, gentilitio & mixto: & quomodo voces patronorum debeant computari, quando fit præsentatio.

S V M M A R I V M.

- 1 Jus patronatus quando sit gentilitium, hæreditarium vel mixtum.
- 2 Qualitas hæreditaria non est incompatibilis cum jus patronatus gentilitio.
- 3 In dubio jus patronatus censendum est hæreditarium.
- 4 In gentilitio succeditur in capita, in hæreditario in stirpes.
- 5 In gentilitio succedunt qui sunt proximi utique successoris, exclusis remotioribus.
- 6 In hæreditario mille computantur pro uno quem præsentant.
- 7 In gentilitio quilibet suum caput constituit, sed remotiores excluduntur à proximioribus, num. 22.
- 8 Explicatur sententia Barbofæ, & aliorum, qui dicunt jus patronatus relitum per donatum vel legatum, acquiri in capita. Et num. 12. contrarium verius ostenditur, excepto jus patronatus gentilitio.
- 9 Hæredes ex inæqualibus portionibus succedunt tamen equaliter in jus patronatus. Fallit quando voces sunt æquales, quia præsentatus ab eo qui majorem habet partem hæreditatis, præsentatur, num. 11.
- 10 In gentilitio post primos vocatos, alii succedunt in stirpes. Limita, nisi familia esset vocata tamquam unum corpus, & collegialiter, n. 14.
- 11 Si duobus corporibus competat jus patronatus, quodlibet corpus pro uno tantum jure numeratur.
- 12 Quæ requirantur ut jus patronatus sit mixtum et gentilitio & hæreditario.
- 13 Jus patronatus mixtum non potest transferri, nisi deficiente tota familia vocata.
- 14 Finita familia jus patronatus transit ad hæredes extraneos, nec Ecclesia libertatem acquirit.
- 15 In jus patronatus mixto succeditur in capita, licet

et non sit purè gentilitium; in eo tamen filii emancipati non admittuntur vivis parentibus ad præsentandum, secus in purè gentilitiis.

20 Virum filius in iurepatronatus gentilitio representet personam patris, & quid de nepote respectu patris, num. 21.

22 Eadem ratio representationis locum habet in iure patronatus, quæ in profanis successionebus observatur.

23 In iurepatronatus successione consuetudo attendenda est.

24 Quando agitur de derogatione qualitatum fundationis, maior pars patronorum non præjudicat minori; sed unius oppositio derogationem impedit.

25 Permutatio non exigit consensum patroni, sed sufficit illius requisitio; quod tamen in Gallia non admittitur, nec valet permutatio renuente patrono, num. 26.

27 In Gallia non admittitur derogatio iurepatronatus laicalis pro medietate.

28 Praxis computationis vocum in iurepatronatus hereditario.

29 Data paritate vocum, locus est gratificationi.

30 Praxis computationis vocum, quando unus ex patronis fuit institutus hæres, aut aliter successit comparationis; & quando debeant fieri plures uncie in iurepatronatus, sicut in successionebus hereditariis.

31 Verum qui sunt de alio corpore, possunt adherere voci aliorum patronorum alterius corporis: & in hac casu voces conjungantur cum alia voce perfecta. Resolvitur opinio Peregrini.

32 Sed tamen contrarium iudicatum fuit in Rota Romana, quia maior pars minus spiritus absorbet minorem, & minor pro nihilo reputatur.

Alia decidenda fuit quæstio super testamento D. quondam Berengarii Goffidi, de quo præcedenti capite actum fuit; nempe utrum illud iurepatronatus esset hereditarium, vel gentilitium; & quomodo voces plurium successorum deberent computari. Quæ quæstio, cum sæpius occurrat in praxi, ideo accuratius examinanda est.

Itaque supponendum est primò, iurepatronatus quoddam esse hereditarium, quod videlicet transit ad quoscumque hæredes, etiam extraneos; aliud verò gentilitium, seu familiare, quod solum transit ad eos qui sunt de certo genere, seu familia; quævis non fuerint hæredes instituti: aliud denique mixtum, quod duo requirit in persona successoris; nempe ut sit hæres, & de familia. Qualitas enim hereditaria non advertebatur juri gentilitio, & familiari; & hæc mixtura sufficit ad exclusionem extranei; ad instar feudi, quod potest esse in parte hereditarium, & in parte ex pacto, & providentia: Rota decis. 247. n. 5. in fine, part. 4. recent. post Cardin. in Clement. plures, de iurepatronatu, colum. fin. & alios ibi allegatos.

In dubio, iurepatronatus præsumitur hereditarium: ut tradunt DD. omnes in dicta Clem. plures, Rota decis. 756. n. 1. part. 2. recent. Scraph. decis. 456. n. 1.

In iurepatronatus hereditario, succeditur in stirpes: in gentilitio seu familiari, succeditur in capita; & quilibet de familia pro uno numeratur in dando vocem, quamvis non sit hæres: ut dicitur in Clement. plures, Rota decis. 251. num. 5. part. 2. recent. Ita tamen ut illi de familia admittantur ordine successi-

Tom. I. Pars I.

vo, & de gradu in gradum; quando in testamento vel fundatione adfuerint verba tractum temporis successuum importantia: juxta sententiam Cuman in l. cum ita, §. in fideicommissio, ff. de legat. 2. & aliorum quos citat & sequitur Rota decis. 482. num. 2. part. 1. recent. Lotter. de re beneficio. lib. 2. quæst. 21. num. 123. & 124. Ricc. in prax. decis. 199.

Et propterea, etiam si essent nulle personæ, quæ uni ex hæredibus in ejus portione successissent; pro una tantum voce computarentur, Duran. decis. Rota Romana 438. num. 12. Gratian. discept. forens. cap. 521. num. 14. Idque in iurepatronatus hereditario. Contra verò in patronatu gentilitio, qualibet persona suum caput constituit, & pro una voce computatur; Campanil. in divers. juris canonic. rubric. 11. c. 13. n. 484. Burat. decis. 183. num. 4. & 16. Lotter. d. quæst. 11. num. 124. intelligendo ut supra quoad jus, sed usque quoad exercitium; quia proximiores præferuntur remotioribus, nisi aliter ex tenore fundationis, aut consuetudine colligatur: ut ibidem dicit Lotter. & Macerat. lib. 1. resol. 87. num. 1.

Quæ de iurepatronatus hereditario diximus, non procedunt in eo quod ex donatione aut legato acquiritur; nam in eo non succeditur in stirpes, sed in capita: ut tenet Ricc. in praxi iurepatronatus, decis. 210. n. 269. & collect. 1733. Barbosa loco citato, n. 70. Sed notandum est illos loqui de iurepatronatus legato vel donato familiæ, & jus ac fundamentum illorum sit potius in contemplationem familiæ, & sic videntur potius agere de familiari seu gentilitio; idcò contrarium verius est, ut infra dicitur num. 2.

In computandis autem hæredum vocibus, non est inspicendum pro qua parte quis fuerit hæres institutus; imò si tres fuerint hæredes, unus pro sex uncis, alius pro quatuor, tertius pro duabus; tantum ponderabit vox tertii, quantum primi; licet ex disparibus portionibus sint instituti, ut tenuit Peregr. consil. 27. vol. 2. n. 7. & consil. 32. num. 7. vol. 1. Aldovin. apud eundem Peregr. consil. 18. n. 3. vol. 5. Lambertin. in tract. de iurepatron. lib. 2. part. 3. quæst. 5. princip. n. 4. v. r. s. adverte tamen. Ubi tamen dicit, vocem illius qui majorem habet hereditatis portionem, hoc operari ut in paritate vocum non sit locus gratificationi; sed præsentatus ab eo qui majorem habet hereditatis portionem, præferendus sit præsentato ab eo, qui minorem habet partem.

Eademque ratione si pluribus ex legato vel donatione competat iurepatronatus, veluti si quis bona omnia certi loci ex inæqualibus portionibus reliquerit, & per consequens iurepatronatus quod venit accessorie cum universitate bonorum; isti nihilominus legatarii vel donatarii æquales erunt in iurepatronatus, ut dicit ibidem Lambertin. sed melius lib. 1. part. 2. quæst. 1. art. 24. num. 1. in fine, & sequitur Peregr. d. l. c. consil. 32. n. 9. vol. 1. Ubi concludit iurepatronatus spectare æqualiter, & pro virili ad singulos donatarios, quamvis ex quinque donator tertium uni, aliam tertiam bonorum partem alteri, residuum verò tertiam tribus aliis reliquisset; quia cum tres illi donatarii ultinæ tertie partis, nominibus propriis essent vocati, debebant in iurepatronatus habere voces æquales; quamvis in bonis donatis quilibet pro tertie tertie admittitur. Et ideo quæ superius dicta sunt ex Barbosa & aliis, de quibus supra n. 9. locum tantum habent in iurepatronatus gentilitio; non autem in eo in quo familiæ, seu agnationis ratio non fuit considerata: cum (ut dictum est in eo in quo familiæ ratio habita fuit, succedatur in capita. Intelligendo tamen de primis vocatis, nam sequentes post primum gradum debent admitti in stirpes.

D 3 Ricc.

42 Petri Francisci de Tonduti Sanlegerij,

Rice, in decis. cur. Archiep. Neapol. part. 2. decis. 6. numero 1. vers. ita tamen. Quod tamen non procedit si familia esset vocata tanquam unum corpus, & collegialiter; tunc enim voces computandæ essent per capita, non per stirpes: Rot. decis. 42. part. 4. recent. tom. 2. Lambertin. de jure patronatus lib. 1. part. 2.

14 quest. 1. artic. 25. num. 17. † Et si duæ universitates vel familiæ haberent jus patronatus, tanquam duo corpora seu collegia, qualibet familia haberet unam vocem, & sic omnes de familia pro uno tantum computarentur: ut per Lambertin. loco citato. Et vox cujuslibet familiæ, conficitur ex majori parte familiarum concurrentium. Rota decis. 2. part. 7. recent. Et sic, etiam si sint mille descendentes ex qualibet familia; tamen pro una voce computantur. Rota ibidem, num. 9. & 10.

15 Supradicta omnia procedunt in jure patronatus gentilitio, vel respectivè hereditario. Sed quid dicendum de mixto? Respondetur, quod cum in mixto utraque qualitas concurrere debeat, nempe quod succedere volens sit simul hæres, & sit de familia, ut dicit Rota decis. 96. numero 18. part. 6. recent. † Et tale jus patronatus non possit transferri ad hæredem extraneum, nisi deficiente tota familia vocata, Rota decis. 166. num. 24. eadem part. 6. † Finita autem tota familia, transit ad hæres extraneos, nec Ecclesia libertatem acquirit, Burat. decis. 183. numero 21. & Costa de rat. quest. 97. num. 12. Ideo ad

16 instar gentilitij, † in mixto succeditur in capita, & non in stirpes, eo modo quo supra dictum est. Burat. decis. 647. numero 10. & 679. num. 8. Filij tamen emancipati non habent vocem, vivis parentibus, in mixto; secus in purè gentilitijs. Ratio est, quia in mixto requiritur quod sint hæres; quæ qualitas vivis parentibus non potest verificari. Rota apud Vivian. de jure patr. lib. 4. cap. 1. numero 71. vers. non obstat quod in jure patronatus. Adden. ad Burat. decis. 183. num. 27.

17 Deveniendū nunc ad praxin, & ad resolutionem propositæ questionis, Censui jus patronatus de quo nunc agebatur, esse gentilitium: cum in eo testator expressè descendentes vocaverit, & in eorum defectum proximiores, ex supra notatis num. 8. & ideo succedi per capita, & non in stirpes. Et sic descendentes Jacobi, qui sunt septem, si concurrant ad nominationem alicujus, prævalere descendantibus ex Catharina, Anna & Leonarda, qui sunt duntaxat

18 quinque; † & hoc si filius præmortui representet personam patris, de quo dubitandum, cum proximiores sint vocati, quo casu excluditur representatio, Fular. de substit. quest. 485. numero 36. & sequent. Maximè, quia agitur de collateralibus gradus

20 ulterioris, Fular. ibidem, num. 106. † Nam si ageretur de patruo, & nepote. Gratian. d. cap. 521. numero 16. inclinatur pro representatione, in hoc jure patronatus gentilitio; cessante representatione, vox illa non computaretur. † Quia ut supra dictum est, soli proximiores, exclusis remotioribus, hac in materia admittuntur, sicut in profanis. Gabriel consil. 169.

21 num. 23. & 4. volum. 2. † qui hoc limitat num. 9. nisi consuetudo esset in contrarium: sicut & Peregr. d. consil. 33. num. 25. & 26. vol. 1. cum supra citatis num. 8.

22 Adeo ut si ageretur de derogatione qualitarum foundationis, non majoris partis consensus, sed omnium singularium per capita exigendus esset: & oppositio unius sufficeret ad impediendam talem derogationem. Lambertin. lib. 2. part. 1. quest. 7. art. 30. num. 23.

23 Similiter licet Rebuff. in praxi, tit. de permut. n. 22. dicat requirendos esse patronos, dum sit permutatio beneficij juris patronatus; & hanc requisitionem

24 sufficere, quamvis non consentiant: hoc casu requiri omnes debent, nemine dempto, & singulariter ac per capita, ex supradictis. † Tamen in Gallia hoc non recipitur contra voluntatem patroni, Ferret. ad Guid. Pap. decis. 374. Cokier de permut. benef. capit. 19. num. 10. & seq. cum agatur de Jure patronatus laicali, Peleus ad regul. Cancel. cap. 10. vers. permutatio non potest. Ubi quod si aliter fiat, appellatur in Gallia, tanquam ab abusu: † sicut nec admittitur in Gallia derogatio juris patronatus laicalis pro medietate. Rebuff. in 3. part. signaturæ, in verbo, necnon juris patronatus, numero 69.

25 Sed si ex consuetudine, vel ex aliis præsumptionibus constare possit jus patronatus illud esse hereditarium; quilibet hæres pro uno computaretur, & eo mortuo hæres ipsius, quamvis plures, unam tantum vocem haberent. Quod si duo eodem tempore fundaverint, reservato jure patronatus, singulæ hereditates post eorum obitum pro una duntaxat voce erunt computandæ. Et si una hereditas præsentavit unum, & de alia hereditate unus eundem præsentaverit, tres verò vel quatuor residui alium, præsentatus à prima hereditate instituendus erit: quia habet dimidiam partem vocum, & unam vocem de alia medietate. Si voces sint omnino æquales, locus erit gratificationi: ita Ugolin. de Episcop. cap. 51. §. 1. num. 8.

Unde si fundator tres hæres reliquerit A. B. C. constituent omnino tres voces, sed si C. v. g. hæredem instituerit A. pro tertia parte, M. pro duabus tertijs; hoc casu adveniente casu præsentationis, si A. præsentet unum, B. verò alium, & M. alium, præferetur præsentatus ab A. quia habet quinque uncias cum dimidia; B. verò quatuor; & M. duntaxat duas cum dimidia, ut bene comprobatur Peregr. dicto consil. 27. num. 13. & seq. volum. 2. † dicimus posse eos, qui sunt de alio corpore, per additionem unire vocem suam, quamvis in minori numero respectu sui corporis, seu stirpis, cum voce aliorum corporis: ut per eundem num. 16. & seq. Quod tamen pro nunc non transit apud nos hoc dubio. Nam Rota Romana sæpius judicavit minorem partem unius stirpis, pro nihilo reputari; & quod major pars in hoc casu absorbet minorem, ut apud Cavalier. decis. 519. num. 3. Lotter. de rebus lib. 2. quest. 11. num. 135. & 136.



CAPUT XXXIII

De collatione beneficij per Episcopum proprio, vel resignantis nepoti, vel consanguineo facta. De impetratione beneficij viventis. De Episcopo dicente se contulisse beneficium, quod non contulerat, quomodo puniatur ratione mendacij. Denique an, & quando post primam collationem nullam, aut quæ effectum non fuit sortita, possit Episcopus iterum conferre.

SUMMARIUM.

Beneficia Gallia primo impetranti conferenda sunt, Fallit primo in beneficiis consistorialibus, & quæ dicuntur consistorialia, quare sic denominantur, Fallit